



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 313. Usque Ad Annum 361

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 90117778

§. 11. Concilium Ariminense.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66022)

vocem non supprimi debere, eo quod ^{Sæculum IV.} perverse accipi possit, probat ab exem- ^{A. C. 359.} plo hæreticorum, SS. Scripturis abuten-
tium. Urget Orientales, ne dum ob-
stinate vocem *homoousios* rejiciunt, suum
illud *homoiousios* suspectum reddant, sed
de vocibus non litigent, cum in sensu
convenient. Tum hæc verba notatu
digna addit: *Testem invoco Dominum*
Cæli, & terræ! me priusquam de disce-
ptatione audivissem, utramque semper vo-
cem probasse, & credidisse, quod HOMOIOU-
SIOS idem significet, ac HOMOOUSIOS, ni-
nilque possit alteri natura simile esse, quin
sit ejusdem naturæ. Jam diu baptiza-
tus, & aliquanto tempore Episcopus nihil
de fide Nicæna, nisi paulo ante exilium
meum audivi, sed ex SS. Evangeliiis &
Apostolorum scriptis horum sensum di-
diceram.

§. XI.

Concilium Ariminense.

Episcopi Galliæ, hoc modo de fide ^{Athan. de} Orientalium præmoniti, cum aliis ^{Synod. p.} Occidentis Episcopis Ariminum, cele- ^{874.} ^{Sever. l. 2.} ^{p. 419.} brem Italiæ urbem, in ora maris Adria-
tici positam, convenerunt. Frequen-
tissimus fuit Conventus, ubi ultra qua-
dringentos Episcopos, atque inter illos
octoginta ferme Ariani numerabantur.
Inter Catholicos, quos novimus specta-
tissimi

Sæculum IV. tissimi fuere Restitutus Carthaginensis, A. C. 359. qui Concilio præfuisse videtur, Musonianus Episcopus Provinciæ Byzacenæ in Africa, cui omnes ob provectiorem ætatem cedebant; Græcianus Episcopus Collatinus in Italia. Ex Galliis S. Phébadius Aginnensis, & S. Servasius Tugriensis. Inter Arianos notantur Ursacius, Valens, Germinius, Cajus ex Pannonia, Demophilus Bereensis, Auxentius, Epictetus, Mygdonius, & Megasius. Taurus Prætorii in Italia Præfectus, Concilio nomine Imperatoris intererat, jussus, non permittere, ut Episcopi inde abirent, priusquam in unam fidem consensissent; imo, si id effecisset, ei Imperator Consulatus honorem pollicitus est, quem etiam anno 361. obtinuit. Constantius ad Concilium scripsit, maxime ut moneret, ne Patres contra Orientales quidquam decernerent, ad quod ipse sua auctoritate non esset accessurus. Tum imperium de mittendis decem Delegatis repetit. Hæc epistola data est Sexto Calendas Junii sub Eusebii, & Hygatii Consulatu, id est, 27. Maji 359. & paulo post Concilium Ariminense auspicati sunt.

Catholici in Ecclesia convenere, Ariani in alio loco, illis antea præparato, qui pro oratorio illis fuit, non enim in orationibus communicabant. Ubi de fide tractari coeptum, cæteri omnes argumenta

Gesta. 6. Id.
Oct. ap. Hilar. fragm. p. 4. 3. Hier. in Lucif. c. 7.

Sever. 1. 2. p. 419.

apud Hilar. fragm. p. 57.

menta ex sola S. Scriptura expromebant, Sæculum IV. A. C. 359.
 at Ursacius, Valens, & alii Arianorum A. C. 359.
 præcipui intrarunt, chartam manu tenentes; hujus scripti postquam appositam diem legerunt, petiere, ne de quacunque alia fidei formula, aut quocunque Concilio ultra mentio fieret, nihil amplius a se exigendum, nec in opinionem suam inquirendum, in hoc scripto omnia contineri, quæ suis adversariis satisfacere deberent. Erat autem hoc scriptum ultima Sirmiensis formula anni 359. qua rejectis vocibus substantia, & consubstantialis, solummodo affirmabatur, Filium Patri per omnia esse similem. *Magis expedit in simplicitate de Deo loqui, inquiebant: dummodo sicut oportet sentiamus, quam introducere novas voces, quæ subtilitatem Dialecticam redolent, & ad fovendas dissensiones aptæ sunt. Tota Ecclesia propter duo vocabula, quæ in SS. Scripturis non leguntur, turbanda non est.* His se Occidentalibus imposituros putabant, quippe Orientales, a quibus Ariani isti regebantur, Occidentales, esse homines stupidos, & rudes sibi fingebant. Theod. II. c. 18.

Episcopi Catholici responderunt; non opus sibi esse nova formula, sed proposuerunt, Arii Doctrinam ab omnibus præcise, & missis ambagibus condemnandam; omnes consentiebant, solis Ursacio,

Sæculum IV. cio, Valente, aliisque illius factionis re-
A. C. 359. nuentibus; ita artes eorum detectæ sunt.

Athan. de Non ideo ex procul diffitis Regionibus, in-
Synod. p. quiebant Episcopi Catholici: advecti su-
876. mus, ut, quæ nobis essent credenda, disce-
remus, hæc enim ab iis edocti sumus, qui
nobis fidei rudimenta tradiderunt, bapti-
zarunt, & in Episcopos ordinarunt, a Pa-
tribus profecto nostris, a Martyribus, a
Confessoribus, quibus successimus, a tot
Sanctis, quondam Nicææ congregatis, que-
rum plures hodieque hac luce fruuntur;
omnem aliam fidem damnamus, & ideo
huc venimus, ut, quæcunque nova, aliena,
& huic Doctrinæ contraria, quia hereti-
ca sunt, rescindamus. Quid sibi vult for-
mula vestra, quibus annum, & diem men-
sis apposuistis? quis unquam talia somnia-

Socr. II. c. vit? num ante hanc diem nulli erant Chri-
37. *ex Ath.* stiani? num tot Sancti, qui ante hanc for-
de Syn. 850. mulam fabricatam in Domino dormierunt,
aut sanguinem pro fide fuderunt, quid cre-
dendum esset, ignorarunt? vos ipsi, per
Deum! addito mense, & die novam esse,
& erroneam vestram opinionem toti poste-
ritati proditis! Ariani, bene a se factum,
adducto Prophetarum exemplo, contem-
debant, at responsum; Prophetas non
ideo missos, ut novæ fidei fundamenta
jacerent, aut omnino, quæ essent creden-
da, docerent, sed tantum, quæ Deus po-
pulo suo promitteret, annuntiasse, & im-
primis

Concilium
Ariminense.

primis Messiaæ adventum, tum etiam, quæ Sæculum IV.
 Israelitis, aliisque nationibus obventura A. C. 359.
 essent; idcirco temporum annotationem
 ipsis fuisse necessariam, ut sciretur, quan-
 donam vixissent, & quando futura præ-
 dixissent. Ecclesiam quidem consuevisse,
 actis Conciliorum, aliisque circa res mu-
 tabiles Decretis diem apponere, non au-
 tem fidei formulis, ubi tantum, quæ sem-
 per credidit, declarat. Id quoque in hac
 formula a sana ratione abhorrens vide-
 batur, quod Imperatorem hujus Mundi
 æternum dicerent, illi ipsi, qui Filii Dei
 æternitatem negabant.

Concilium aliarum Sectarum Confes-
 siones, fidem continentem, prælegi jussit, *Soz. IV. c. 17.*
 tum etiam Concilii Nicæni, atque huic
 soli, rejectis omnibus aliis, inhæsit, & De-
 cretum condidit ferme in hunc modum:
*Omnibus Catholicis gratum nos facturos
 existimamus, si a Symbolo, quod didici-
 mus, non recedamus, cujus puritatem post ap. Hilar.
 collata consilia agnovimus; hoc autem ni-fragm. in
 bil aliud est, quam illa fides, quam acce-^{fin.}
 pinus a Prophetis Dei Patris, a Jesu
 Christo, Domino nostro, quam S. Spiri-
 tus nos per Apostolos omnes docuit usque
 ad Concilium Nicænum, & quæ in hanc
 usque horam subsistit. Credimus, huic fi-
 dei nihil esse adjiciendum, nihil detraben-
 dum; nihil, quod agamus, superesse, sed
 vocem substantiæ, & rem, quæ per hanc*

Ccc 5

vocem

Sæculum IV. A. C. 359. *vocem significatur, multis SS. Scripturarum locis stabilitam, in pleno sensu conservandam, sicut S. Ecclesia Dei eam omni tempore confiteri consuevit. Omnes Episcopi Catholici, nullo excepto, huic Decreto subscripserunt, atque etiam alteri, quo iterato Doctrina Arii damnabatur sequentibus verbis: Arii blasphemiam, ut ut jam condemnatæ, latebant, quia, ab eo fuisse prolata, ignorabatur, sed, Deo ita disponente, hæresis ejus a nobis, Arimini existentibus, denuo examinata est; hinc eam condemnamus, & omnes hæreses, quæ contra traditionem Catholicam, & Apostolicam exortæ sunt, sicut jam a Conciliis præcedentibus damnatæ fuere. Post hæc decem Anathemata dicta variis erroribus Arii, Photini, & Sabellii sequuntur.*

Valentem, Ursacium, aliosque Arianos, huic Decreto refragantes, Episcopi Catholici pronuntiarunt, esse homines Rerum Divinarum rudes, & ignaros, perversos, depravatos, hæreticos, atque his perspectis sibi causis eos, damnatos, deposuerunt; habemus acta, quibus deponuntur, in hæc verba: Eusebio, & Hypatio Consulatum gerentibus, duodecimo Calendas Augusti, id est, 21. Julii, cum Concilium Episcoporum, Arimini congregatum esset, postquam de fide deliberatum est, & quid faciendum, statutum, Græcianus,

ap. Hilar. frag. in fin. Calendas Augusti, id est, 21. Julii, cum ap. Athan. Concilium Episcoporum, Arimini congregatum esset, postquam de fide deliberatum est, & quid faciendum, statutum, Græcianus,

cianus, Episcopus Collatinus, ait: Cbarissimi fratres! Concilium universale tam diu, quamdiu potuit, toleravit Ursacium, Valentem, Gajum, & Germinium, qui opinionum suarum varietate omnes Ecclesias turbarunt, & etiamnum hæreticorum argutias fidei argumentis commiscere audent, Concilium Nicænum obliterant, nobisque fidem alienam, quam recipere non licet, obtrudere volunt; jam a multo tempore hæretici sunt, & adhuc in errore perseverare scimus, hinc ad nostram Communionem non admisimus, & viva voce ipsos præsentem condemnavimus; ergo edicite, quid statuatis, ut omnes sententiam vestram suo suffragio confirment. Omnes Episcopi dixerunt: volumus, ut isti hæretici sint damnati, fides autem Catholica integra, & Ecclesia in pace permaneat.

§. XII.

Legatio ad Imperatorem.

His ita tam circa fidem, quam Personas definitis, Patres, soluto Concilio, ad sua reverti potuissent, nisi eos mandatum acta ad Imperatorem per Legatos mittendi retinisset; ut igitur satisfacerent huic imperio, Episcopos decem ad Regiam delegarunt, ferentes epistolam, qua primum fatebantur, se Cæsaris mandato fuisse congregatos, tum vero sibi visum, anti-

Sæculum IV.
A. C. 359.